

I U R I S
 INTER GENTES LIBERAS
 CONTROVERSI
S P E C I M E N,
 DISCEPTATIONI PROPOSITUM
IN REGIIS SCHOLIS
 Secundum Supradicti tradidit
DIVI ISIDORI AGRICOLAE
 A E D E S,
AB EMMANUELE LORIERI,
 prudentiae publicae auditore,
SUB JOACHIMO MARIN ET MENDOZA,

JUR. NAT. ET GENT. PROF. REG.

Die xxi mensis Decembris vespere hora III.



MATRITI CI^O CC LXXIV.

TYPIS EMMANUELIS MARTINI.
 SUPERIORUM PERMISSU.

JURIS

INTERGENITAS LIBERAS

CONTROVERSAI

PECIUM

DISCERNATIONI PROPOSITUM

IV REGIS SCROLLIS

Secundum

DNI ISIDORI GERICOLOVI

AEDES

AB EMMANUELLE DORTMUNDI

BRUNELLESCHI BAPTISTAE SANGUINOL

SUB JOACHIMO MARIA ET MENDOZA

1590. NAT. ET CANT. PROL. REC.


Die XIIII mensis Decembris Anno Regni



MARTII CID CCC LXXVII.

TYPIS EMMANUELIS MARTINI

SUPERIORVM PÆRMISSVM



IUS GENTIUM.

I.

QUOD olim in somniis Scipioni traditum dicitur, nihil nempe esse Principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam concilia, coetusque hominum iure sociati, quae Civitates appellantur, et veritas, et ratio ipsa convinxit. Ita enim communi consensu placuit status civilis humano generi, ut vix ulla hodie reperiatur gens tam barbara, apud quam non aliquod saltem sit Civitatis, vel reipublicae simulacrum.

II.

Nec aliter de salute sua plenius consuli potuisse provident; quandoquidem vera illa respublica, ex qua non exsulat iustitia, duplex arctissimum simul atque optimum continet incolumentis vinculum, tum inter cives, et ipsos Rectores, tum Rectorum erga se invicem.

III.

Tantum proculdubio abest ut admittendum sit, quod quidam finxere nisi per iniustitiam rempublicam stare, augerique non posse, ut ubi nulla sit vera iustitia, nec hominum coetus iuris consensu sociatus, nec populus esse possit.

IV.

Rectores Civitatum summi, liberique quod natissunt, intra iuris, et fidei modum populos suae curae commissos regunt, et invicem reguntur ipsi. Nam si nulla est communitas, quae sine iure conservari queat, tanto melius iuris vinculo indigebit, quae genus humanum, aut populos complures inter se colligat.

V.

Sempiternus mundi effector, molitorque Deus, cœu omnibus ex aequo parens, cum eandem universis dedisset originem, naturalem inter ipsos societatem instituit, atque cognationem. Quae legibus etiam continetur, non in aere, aut tabulis, sed in sensibus, animisque singulorum scriptis; nam nisi ad omne verum caecutiant, solo naturae ducatu in eas consentire moratores merito praesumuntur.

VI.

Primum tenentur naturae legibus , quae à supremo Auctore sanctimoniam , et maiestatem accipiunt, deinde iure positivo , sed quod tum praesumpta voluntate , tum pactis , aut moribus constat.

VII.

Adversus haec ne quis vim faciat , duo sunt inter summi fastigii viros delecti seduli custodes, sua cuiusque conscientia , et fama sive existimatio aliena. Nam quorum sunt manifesta facinora , et consentiente bonorum iudicio damnantur , et ipsorum animi sententia nullatenus absolvuntur.

VIII.

Cum igitur tam late pateat , quae omnes homines maxima tenet iuris communio , ut in re dispersa , atque infinita nihil aliud efficere possumus, quam ut ratione quadam , et distributione veluti sub uno adspectu simplicissima ponantur. Primo loco de republica constituenda agemus , ut ius rectorium quo ipsa moderatur , quodque sit hoc, quod rempublicam dicimus , introspiciamus : constituta demum iam vero republica , quae leges sint , iuris Gentium nomine vocatae , quae ipsas inter se ex aequo componit , gravior , et latior disputationis pars altera consequitur.

De Republica constituenda.

IX.

Civitatis, vel reipublicae nomine cum utimur, de corpore morali nobis est sermo. Tria utpote à philosophis antiquis, et iureconsultis tradita sunt corporum genera, naturale, artificiale, et morale. Ex quibus Civitas, vel respublica corpus morale, vel persona moralis dicitur: per quam intelligimus insignem hominum multitudinem sub communi imperante securitatis suae causa certis legibus consociatam, et nulli alii mortalium obnoxiam.

X.

Mirum quantum à familia, vicos, pagis, oppido, urbe, praefectura, vel provincia distat: haec namque partes, et exordia sunt, quibus sensim iunctis magnum illud corpus exsurgit.

XI.

Nam ut progrediamur à prima illa origine societatis ad eam, quae latissime patet omnium inter omnes, infinitos prope gradus, et conversiones reperiemus. Prima societas, quae est viri, et uxoris,

omnium antiquissima putatur : tum liberorum coniunctio paullum à prima discedit. Deinde fratum inter ipsos , post agnationes , et gentilium sequuntur affinitates , et nova connubia , ex quibus plures propinqui ab agnatis gentilitate distincti : qui omnes cum iisdem tectis capi non possint , in alias domus emigrant , quibus sunt res , rationesque distinctae. Cum vero ab affinitatis coniunctione discesseris , proxima est amicorum virtute parta societas , tum vicinorum , qui propagata sobole in plures vicinias coniunctis aedificiis coalescunt , unde forte vici , et pagi. Post paullo aucta iam vicorum multitudine oppida successere , et quò tutiores essent , moenibus circumseptae urbes. Neque híc demum substitere mortalium primi , nam pluriam urbium , et oppidorum multitudine succrescente , alia iuris societas amplior est coniuncta , quae praefectura , vel provincia , principatus , aut dynastia appellatur ; et hos omnes respublica , aut si mavis civitas , populus , seu gens (nam sub his nominibus idem significari in usu est) veluti genus complectitur.

X I I.

Cum itaque respublica sit , uti diximus , sub uno vel eodem imperio subiecta multitudo , à familia , et aliis ceteris , quae Civitatis quaedam quasi imagines sunt , vel maxime differt. Civium illa coetu constat , et civis est quicunque communi modo

libertate fruitur , et imperii tutela. Quae cuiusmodi sit , ex ipsa temperatione , et ex optima Civitatis disciplina innotescet.

XIII.

Gens in primis se conservare obligatur , ac propterea omne periculum interitus avertere , quaeque eam imperfectiorem reddere possunt arcere quam longissime.

XIV.

Singuli obligantur universis ad bonum commune promovendum , et universi singulis ad paranda vitae adiumenta necessaria , ut tranquille , et secure degant.

XV.

Ideo Gens imperium civile , seu publicum exercet , atque adeo ius ea decernendi , quaecumque ad bonum , et Civitatis finem valere videantur.

XVI.

Quantum vero iuris Genti inest , id ipsum tribuitur rectori Civitatis , utpote Gentem representat ; quaeque munera à Civitate erant exigenda , omnia ex asse expletum in se recepit.

XVII.

XVII.

Praeclarae totius procurationis partes trifariam scindimus. Primo loco circumspicienda sunt illi media, quae ad vitam commode tolerandam quam maxime faciunt: nam si fortunae omnia committat, damno suo tantum sapiet. Quantocius igitur Gentem, et regionem universam probe internoscere gestiet, ut sit tantus civium numerus, qui bono communi Civitatis promovendo, et adversus insultus hostiles sufficient.

XVIII.

Cum autem in aliquo vitae genere desint tales, quarum opera, ac studio indiget Civitas, nulla mora aliunde civitate donati arcescuntur, dum incolas interea, quos alit noxios, et vagabundos, pellet, ni labore, et industria victitent.

XIX.

Hinc in varias artes, et rei rusticae intenta multitudo ubertatem, quae non ubivis redit, industria pensat. Ac propterea illi enitendum erit ut operae, et agricultura perlate diffluant. Nec praeterunda commercia, quae maxima cura, et studio alta, quanto sint rebus urbanis adiumento, abunde testatur parva Civitas, quae solo exili, et sterili enixa, magna

na ceteroquin imperia opulentia , et gloria coaequa-
vit.

X X.

Altera prudentiae rectricis pars ulterius pergit,
ut rempublicam quanta possit felicitate, et perfectione
reddat beatorem. Quò in primis tendit optima iu-
ventutis educatio ; serendi quippe sunt boni mo-
res , cum omnia non scriptis sanciantur. Ita qui ab
initio virtutis semina instillavit , satis callidus , satis-
que prudens de futuro est , quia recte instituti ci-
ves , erga Deum , erga se, et erga alios necessaria of-
ficia persolvent.

X X I.

Cum virtute doctrina sororio vinculo copula-
tur , si solertia , et ingenio praestantes viri iuven-
tur : alias omnis interclusa via , ut scientiae, et artes
quantum datur nova in dies capiant incrementa.

X X I I.

Verum cum non omnes è meliore luto facti pro-
dierint , virtuti parum erit consultum , nec reipubli-
cae suus constabit ordo , nisi satis iustitia valeat ,
cuius vero cum cultus viguerit , alia omnia in proclivi
erunt.

X X I I I.

Legibus salutaribus hoc efficiet , quamvis legum
haud

haud pauci vim ellidere certant; sed vindices integri cooptantur magistratus, et iudices, poenitentiam, quae acriora vincula sunt, leges sanctiuntur.

XXIV.

Maximum postremo bonum patriae peperere qui erga merita aequi praemiorum aestimatores sunt, ea plerumque cives impulere ad praeclariora quæque edenda.

XXV.

Tandem et tertio loco de securitate cavere debet rector, nam nisi freti, et muniti iure suo fruan turcives, frustra aliorum parata esset adiunctionio.

XXVI.

Ita operam dabit ut vi externae resistere possit, quò se, suasque res adversus alias Gentes defendat, nec non ius suum, cum alia tribuere deneget, vi consequatur.

XXVII.

Quae Gentis potentia dicitur, triplici ex capite fluit, multitudine hominum, qui militiae munera exercere valcant, rei militaris virtute, et divitiis: quae omnia si pro virili augere negligat,

nae ille iustas dabit impotentiae poenas.

XXVIII.

Potentia alia est offensiva , alia defensiva,
quaedam absoluta , relativa alia.

XXIX.

Haec generatim dicta ad omnem rem publicam
pertinent , ceterum quantum pateat publica ipsius
potestas, et in quos eius exserat vires, à dupli ratione ,
sub qua hominum multitudo considerari
potest , dignoscitur. Aut multae familiae , vel ho-
mines multi in unum corpus morale , quod Gens,
seu Civitas dicitur , coaluere , aut segreges , et in-
tervallo disiunctae vitam agunt : alia utpote er-
alia est bino intuitu iuris acquisitio.

XXX.

Cum familiae segreges in regione quadam se-
des figunt , inibi imperium civile non habent,
fundos privatos , quos occuparunt , possident,
sed loca cetera vacua res nullius sunt , seu in com-
munione primaeva adhuc relictam manent.

XXXI.

Cum vero sedem fixam non habuerint , sed
per

per incultas solitudines dispalatae errant, fundi, qui ipsarum usui inservire possunt, et in quibus animum utendi satis superque produnt, in communione mixta permanent, et dum in ea sunt alios excludent, neutiquam tamen imperio fruentur.

XXXII.

Contra in Gente civiliter consociata, nam cum regionem subit, omnis terra, et quae in ea sunt, cum imperio, et dominio occupata putantur.

XXXIII.

Propterea ex quo familiae in quadam regione seorsim degentes in civilem societatem coiri statuunt, etsi dominium antea per fundos tantum habebant, tunc primum dominii additamentum imperium coniunctim obtinent.

XXXIV.

Nec privatus, nec familiae dum insulam, aut loca inhabitata occupant, cum imperio, et summa potestate capessunt.

XXXV.

Mare vastum, cum per se occupabile non sit, nulla Gens dominio suo subiicere valet.

XXXVI.

XXXVI.

Partes vero maris à Gentibus , quae idem accolunt , occupantur quoisque dominium in iisdem tueri possint ; idem dicimus de sinibus, et fretis.

LXXX
XXXVII.

Imperium maris sine dominio acquiri potest , et cum ita fit , usus maris communis est.

XXXVIII.

Omnia loca , terrae , insulae , et partes maris dominio Gentis subiectae , quantocumque intervallo distent , ad territorium Gentis pertinent , et rector Civitatis , quatenus Gens dominium habet , dominus regionis appellatur.

XXXIX.

Domino regionis in suo territorio indita est potestas legislatoria , ac proinde qui in terris , locis , partibus maris illius territorii versantur , eiusdem legibus subsunt , et in illis ferre leges poterit , prout è re Civitatis visum.

LXXX
XL.

XL.

Peregrini quamdiu in alieno territorio commorantur veluti cives temporarii sunt , et eorum actiones legibus loci subiacent.

XL I.

Successio in bonis territorii , etsi bona ab exteris possideantur , iuxta leges loci ubi sita sunt definienda.

XL II.

Sed actus peregrini , qui territorium nullatenus respiciunt , ex iure illorum patrio reguntur.

XL III.

Ius possidendi bona in territorio à Principis arbitrio pendet , neutquam tamen succedendi , aut dominium adipiscendi perpetua facultas.

XL IV.

Hactenus iuris publici fontes praecipuos reteximus , quibus respublicae ad optimum , et suum finem in civitate obtinendum utuntur : superest quomodo erga alias officium suum peragere debeant , ut deinceps expendamus.

De Iure inter Gentes publico.

X L V.

PErversa nonnunquam veteres invaserat opinio in exteris nulla officiorum ratione quemque tene-ri, sed uti hostes esse habendos, qui procul à Ci-vitate aberant. Hostis, et peregrinus nomine tenus diversi, re tamen pro iisdem habebantur. Unde fac-tum ut plura, quae iure naturae praescripta erant, pactis, et foederibus sibi praestari curabant, non dolis, neque fraudibus agere, non laedere, nec ius auferre. Iam diu tamen vero salubrior, et aequior lux affulsit inter Gentes, ac praesertim in nobilis-sima hac orbis parte Europa, quae quasi maxi-ma respublica, bono generis humani consociata, duo-bus iam inde saeculis praeterito, et decurrente con-spicitur. Ideo ius hoc publicum Gentium appellare maluimus, quo florentissimus status magnae Civita-tis continetur. Earum enim, quae melioris Euro-pae partis cultum sequuntur, unaquaeque Gens nedum alias sibi invisas non habet, sed commu-nem generis humani societatem, à Deo O. M. constitutam, omni beneficentia, liberalitate, boni-tate, et iustitia colere certant. Quandoquidem ve-ro maxime non tantum interest officia quaedam in-ter Gentes coli, ut pax, et tranquillitas servetur, sed

sum-

summo iure , et stricta iustitia ad ea peragenda non
nunquam obligantur.

X L V I .

Gens enim unaquaelibet ius suum tribuere alteri
debet , et simul cavere ne aliam vere offendat ,
atque ita iustitiam inter se colere.

X L V I I .

Si cui contra dolus , et malitia fide cariora sunt ,
ceterae ius habent se vi defendendi , aut non pa-
tiendi ut altera ius suum sibi auferat. **Reliqua** ipsis
etiam est facta potestas alteram vi persecundi , ut
quod sibi tribuere non vult , adigat ad tribuendum.

X L V I I I .

Immo ius puniendi in laedentem omnibus asse-
rimus.

X L I X .

Et quemadmodum ipsae pro sua salute , et pro
civium suorum securitate invigilare debent , ita nec
ferre ut quis subditorum civi alterius Gentis dam-
num det , aut iniuriam faciat , quia laesiones ci-
vium imputantur Genti , si ratihabeat , vel approbet.

Gentium liberarum nomine hodienum censentur Afrorum quidam populi in adversis littoribus imminentes, qui barbaros omnino mores sequuntur, praedas in omnes agunt, nec fide scelestia ullius ab iniuriis abstinent. In hos prorsus iure gladii agimus, nedum intra defensionis limites, sed poenas reposcimus. Omnibus siquidem facultas inest eos adigendi ut mores mutent, et si nulla spes sit eas obligationi naturali satisfacturas, sin minus delere funditus, licebit saltem vires eorum prosternere, et diminuere, ut non amplius quid simile efficere audeant.

L I.

Verumtamen si nec ratihabitio, nec consensus intercedat, nihil aliud à Civitate petere laessae Gentes possunt, quam qui damnum dedit, ut resarciat, qui fecit iniuriam, eum ut puniat.

L II.

Dedere autem, nisi adeo enormia sint crimina ut saluti generis humani expiari maxime intersit, nullatenus coguntur.

L III.

LIII.

Gentes praeterea omnino sunt inter se aequales.

LIV.

Quare dignitatem quaeque suam pro virili tueritur, quin fas alteri sit in alterius contemptum insurgere.

LV.

Immo cuique suus habendus honor, quatenus summam eius potestatem respicit.

LVI.

Alias non eadem honoris signa, neque tituli ex aequo omnibus tribuenda, praesertim cum iam moribus, et iustis de causis quidam inter Europaeos Principes quasi gradus amplissimi ordinis recepti sint.

LVII.

Sed quoniam ipsae quatenus Gentes aequales inter se sunt, quod uni licitum, et aliis quoque in sua Civitate licet.

L V I I I.

Rursus inter se Gentes independentes sunt, nec unius Civitatis regimen ab alterius iudicio pendet; quare nemo urgere poterit ut altera in sua Civitate, uti eius lubido ferat, quid faciat, aut constituant.

L I X.

Ut quaeque domina territorii est, ita proprietatem habet, seu ius alias excludendi, et libere pro sua voluntate disponendi de omnibus, quae inibi sunt. Bona civium singulorum quod ad exterros pro bonis Civitatis putantur.

L V I

L X.

Dominium Gentis cum imperio connexum est.

L X I.

Differt vero à dominio eminente, necnon à dominio vulgari.

L X I I.

Iurisdictione quoque pollent in suo territorio, ut res iudicent, iuxta inter exterros, atque inter cives.

LXIII.

LXIII.

ab Semel sententia lata, pro iusta ab aliis habenda.

LXIV.

Nec summi Imperantes pro civibus intercedere, aut causas evocare possunt, nisi ius manifesto negetur, aut notoria, et evidens sit iniustitia facta.

LXV.

Nemo etiam cum exercitu accedere, aut vim hostilem in dominio suo facere potest, hoc violare territorium dicitur, digna utique iniuria ab omnibus dispellenda.

LXVI.

Quin ingressus in territorium nemini citra eius voluntatem licitus.

LXVII.

Sui arbitrii est loca regionis aut deserta relinquere, aut colere, quin ob id aliis ius innascatur ad ea invadenda, quasi non occupata, aut nullius sint.

LXVIII.

LXVIII.

Nisi adeo magnus intersit terrae tractus , de quo Gens minus curet, et alia praeterea terris egeat ad victum quaerendum.

L X I X.

Prouti voluerit potest quaedam amplius in primaeva communione relinquere , aut non; sed in dubio omnia quanta quanta in territorio sunt , per universitatem occupata presumuntur.

L X X.

Non venari , non piscari , non metalla pretiosiora effodere exteris licet absque Principis venia, cui , nisi prius exorati fuerint , iniuriam alias facient.

L X X I.

Quamvis vero introducto dominio , et propietate omnis fere orbis inter Gentes scissus iam olim sit ; tamen cum non omnia ubique ferat natura, et quaedam sibi sufficere , quaedam alia decesse videantur : eadem ipsa impellente natura ad commercia inter se ineunda Gentes ducuntur , ut societatem, et utilitatem generis humani promoteant , quae maxime duo fini naturae convenient.

LXXII.

LXXII.

Interna commercia sunt, aut externa.

LXXIII.

Gentes obligantur commercia interna exercere, externa autem quantum in potestate sit.

LXXIV.

Cuilibet siquidem Gentí competit ius res, quibus indiget, ab aliis Gentibus, quae ipsaem et iisdem opus non habent, aequo pretio sibi comparandi; nihil vero iuris adest sua apud aliam Gentem vendendi sine ipsius consensu.

LXXV.

Ex arbitrio Gentis pendet utrum cum alia Gente commercia exercere velit, necne, et qua lege ea velit exercere. Diu hoc communi, et noto nomine **Libertas Commerciorum** appellatur.

LXXVI.

Alterum perfecte sibi obligare ad commercia ineunda, nisi per pacta, potest nemo. Itaque foederibus commerciorum opus habent, in quibus qua lege, quibus in rebus, quo tempore pacisci oportet.

LXXVII.

LXXVII.

Probe tamen expendendae prius rationes sunt, ne commerciis exteri opes suas depascant. Ideo dividuntur in activa, et passiva, et ad aequam cum aliis Gentibus commerciorum lancem subinde animum advertunt.

LXXVIII.

Plures à viris civilium rerum peritis sunt exco^{gitati} modi exigendi aequam commerciorum lancem, vulgo, *la balanza del Comercio*, de quibus interrogati sententiam aperiemus.

LXXIX.

Interim tamen certum est, omnes conferre oportere quantum possint ad commercia mutua inter Gentes promovenda, hinc divitiae, potentia, exempla ad imitationem referuntur.

LXXX.

Multa vero sunt, quae commercia fovent, nonnulla alia etiam quae iis obsunt, quae scire cūpientibus palam fient.

LXXXI.

Sed quantacumque Gens rerum abundantia affluat, non aliquando opis alterius non eget, et cum insuper illae se mutuo amore complecti, et caritate debeant, hinc officia humanitatis promanant, quae cum praestantur ab hominibus, uti homines illi tunc vere se gerunt, atque propterea merito humanitatis officia appellantur. Latius officiorum quam iustitiae regulae patent: multa pietas, liberalitas, modestia, bonitas, multa excelsus animus largiuntur, quae vix à iustitia abducas.

LXXXII.

Ad ea tamen officia nec coguntur Gentes, nec ipsae aliis auxilia recusantibus vim ullatenus poterunt adhibere.

LXXXIII.

Tum autem praestanda sunt, cum nulla erga cives est officiorum collisio; nam si usus suarum facultatum minime permittat, evincit officium erga cives.

LXXXIV.

Sic in annone caritate, cum ab hoste iniusto premitur, cum legibus, viris doctis, et aliis indigent, sibi invicem Gentes nostra in Europa persaepe subsidio fucre.

D

LXXXV.

LXXXV.

Nonnulla praeterea Gentibus aliis competit
iura , adhuc ex primaeva communione residua , qui-
bus uti possunt in res ut in dominio aliarum
Gentium positas.

LXXXVI.

Tale ius necessitatis , omnibus quippe com-
muniter competit , tale ius ad res inexhausti usus ,
simile ius innoxiae utilitatis.

LXXXVII.

Illa vero quaestio gravior , num quantum ami-
cis , quantum aliis iuris tribuat Gens , ceterae pos-
sint ab eadem exposcere , in qua distinguendum
censemus : scilicet ius habent ad actus ex suppo-
sitione permissos , nihil autem ad alios beneficij
ergo concessos.

LXXXVIII.

Iam ex dictis hactenus patet à quibus cavere
oporteat Gentes , ne alias offendant. Si qua autem
ius manifesto deneget , aut iniuriam facit , et sua
sponte ad gravamina diluenda se offerre debet ,
quò alteri ius suum tribuat , iniuriam factam , vel
damnum datum rependat , aut si forte iniuria re-
parari nequit , de ea ut abunde illi satis , et pro-
ius-

iusto faciat , atque iratum animum dissolvat.

LXXXIX.

Laessa ex contrario Gens priusquam ad duriora remedia deveniat , querelas effundere , et num de his conveniri possit , omnia prius decet sapientes illas experiri.

XC.

Plures utpote dantur viae controversias componendi inter Gentes liberas , veluti amicabilis compositio , transactio , mediatio , provocatio ad arbitros.

XCI.

In eos qui media sedandi controversias oblata reprobant , nolintque in colloquium pacis causa venire , cum Gentes iudicem non habeant , sed ipsae sui iuris vindices sint , exsecutione violenta uti possunt.

XCII.

Non illico tamen bellum suscipere licet , cum bellum ingentem post se trahat malorum cumulum , et adeo dubius utrumque eventus cadat. Sed priusquam arma induantur , lenioribus quibusdam remediis utuntur , veluti retorsione iuris , nam etsi Principes nullis tenentur Praetorum edictis , illud

D ij ta-

tamen quod quisque iuris in alium statuerit , ut ipse eodem iure utatur , tandem inter eos valet: deinde explectione iuris , et oppignorationibus , nonnumquam androlepsia , seu viricapione , quamvis ferme apud nos iam diu viros intercipiendi mos exoleverit , nisi iniuria alterius personae aequalis conditionis sit facta ; demum represaliis utuntur , quae fere haec omnia sub se quodammodo amplexantur .

XCIII.

Finis autem horum , termini , et modi peragendi ultro tradentur .

XCIV.

Ampla belli materia sequitur , quae quia uberm simul eventuum , et quaestionum segetem affert , carptim pro modulo nostro singularia quedam delibabimus . Bellum in primis quoad effectus utrumque iustum à ceteris Gentibus habendum .

XCV.

In bello ius nascitur in personas ex defensione sui , et rerum suarum . Itaque nullum est adversus pueros , senes , foeminas , et alios inermes , sed tantum in milites .

XCVI.

XCVI.

Victoris ius ergo cessabit quoties vi ei resistare desinant.

XCVII.

Nec ius belli in infinitum abit , ut passim iactatur , tantumdem est , quantum ad vim repellendam sufficit. Impia illa Caesaris , modo Caesaris verba apud Lucan. *Pharsal. lib. 1. v. 349.*

..... *arma tenenti*
Omnia dat qui iusta negat , nec numina desunt.
 Cum alioquin Caesar lenitate , et insigni clemencia fuisse nostra laudatione maior.

XCVIII.

Occupatio bellica modus utrique belligantium est ad dominium , et imperium acquirendum.

XCIX.

Bellum iustum tamdiu continuare licet , donec ius tuum fueris consequutus , nec alter sese iustae amplius opponit.

C.

In causa dubia ipsum ducere , eo usque fas erit,

erit, donec alter vel transactionem offerat, vel accipiat oblatam.

C I.

Pax fieri non potest eo modo, ut ius suum quisque ex asse consequatur, sed per transactionem.

C II.

Semel vero pace facta sancita est in sempiternum iniuriarum, et offenditionum antea illatarum oblivio, quae Amnestiae nomine venit.

C III.

Pax, et foedus de pluribus rebus simul iniri potest, quarum singula vel ab aliis dependent, aut ad diversam causam pertinent; hae conventiones pacis articuli dicuntur, et sunt vel connexi, vel diversi.

C IV.

Si res diversas foedus contineat, iniuria in altero pacis capite facta totam pacem non rumpit.

C V.

Cum vero haec probe secernenda sint ne infinitis dubiis occasionem praebeant, satius erit in antecessum providere, num omnes articuli pro-

conditione ponantur , ut saepe nec sine magno
consilio factum.

CVI.

Pax postremo interventu quarumdam potesta-
tum pangitur , iis scilicet , quibus à libera Gente
mandatum est.

CVII.

Nec tantum hae pacis causa mittuntur , quia
plurima sunt negotia publica inter Gentes peragen-
da , quae perfici nequeunt , nisi deliberationibus
mutuis , atque decretis. Cum itaque ipsae conve-
nire nequeant , Gentibus ius perfectum adest per-
sonas mittendi , quae pro diversitate circumstan-
tiarum aliae , et aliae putantur.

CVIII.

Olim legatorum uno nomine omnes has perso-
nas absolvebant , nunc autem diversi ordines , necnon ,
et praerrogative inter eas constitutae sunt. Legati
quidam Ordinarii , nonnumquam Extraordinarii ap-
pellantur , sunt Missi Ordinarii , et Extraordinarii ,
Ministri cum plenitudine potestatis , Residentes , Con-
sules , Agentes , et si quae sunt aliae , de qui-
bus , ne longiores iusto simus , interrogati praecipua
afferemus. Tantum de Iure inter Gentes publico.

conditions, however, were such that
courageous and

CAT.

turning him into a soldier of Philip's
army.

CONT.

He sent his son to the camp of his
brother, who was then in command of
the army, and he himself followed him.
After a short stay he returned home
and died.

Pax, the son of Philo, became
a general in the army of his brother,
and adored him.

CAT.

Philoxenus, the son of Pax, was
a general in the army of his brother,
and he too adored him. He was
a man of great energy and
courage, and he was always
ready to sacrifice his life for
his country. He was a
true soldier, and he died
in battle, fighting bravely
until the last moment.

Thus the family of Catullus
ended in battle, and they were all
true soldiers.